

**Animadversiones quasdam ad illustrandam phrenitidis causam ... /
speciminis loco exhibuit Isaschar Faldensohn Behr.**

Contributors

Behr, Isaschar Falkensohn.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae ad Salam : Aere Hendeliano, [1772]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/vq5mfevu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

ANIMADVERSIONES QVASDAM
A D
ILLVSTRANDAM
PHRENITIDIS CAVSAM

CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRO
GRADV DOCTORIS
LEGITIME IMPETRANDO

D. 4. DECEMBR. 1772.

SPECIMINIS LOCO EXHIBVIT
ISASCHAR FALKENSOHN BEHR
POLONVS.



HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

ANIMADVERSIONES OVASDAM

D

LESTRAVANT

PHRENTIDIS CAVSAM

CONJUNCT

GRATIOSI METICORUM ORDINE

REGIA INDIANA

1

ORADVDOTORS

LEGITIME INDIANA

DE FINE 1773


COLONIS COO EXHIBIT

12786 AN THEXONN ENR

TOTONS

MAEAE ADALAM DEE HENRIAN



 Neminem paene fugit, quam controuersa sit phrenitidis causa, quantasque ea lites, inter medicos, concitauerit. Licet enim quam plurimi, veterum vestigia prementes, in ea versentur opinione, ac si meningum aut cerebri inflammatio phrenitidis causam contineat: attamen tantum abest, ut omnibus eam sententiam amplecti placuerit, ut sint potius, qui phrenitidem sine inflammatione, hanc sine phrenitide, idque non raro, existere arbitrantur. Atque hi, ut id, quod asserunt, comprobent, ad sectiones imprimis demortuorum prouocant, illas potissimum, quas MORGAGNVS consignauit, quaeque WILLISII et a BONETO collecta obseruata confirmant.

Si vero, quod res est, dicendum, licet vetus opinio, quod pluribus euinci posset, probari nequeat, illi tamen sectiones, quibus, ut ista corruat, utuntur, saepius omnino aut fauent, aut saltim accommodari possunt. Quae res, siquidem magni momenti, meretur altius indagari.

Quamuis inflammationis natura nondum adeo illustrata sit, ut clarissima luce splendeat: id tamen, credo, pro certo exploratoque haberi potest, magnam sibi illam feri coagulabilis, ad ineundam concretionem, procliuitatem vindicare, adeo, ut passim id etiam vere concreascit. Sectiones enim eorum, quos dira inflammatio enecauit, concretiones partium, polypos, indurationes, collectiones gelatinae, adeo frequenter constanterque manifestarunt, ut omnino, procliuitas ista humorum ad concrescendum, indiuisa cuiuscunque inflammationis comes esse videatur. Atque, ut ne ullum huius rei dubium superfit, ad eas imprimis liceat inflammationes prouocare, quas putridas aut gangraenosas dixerunt, quasque, licet status sanguinis concretioni fauere non videatur, attamen gelatinae collectiones comitantur. Nec crederem, fore quempiam, qui ista omnia mortis potius sequelas, quam inflammationis effectus esse iudicet. Quid esset enim, quamobrem illa in his, quos alius morbus interemit, multoties defint? Addere his liceat, scirrhum non infrequenter inflammationes sequi; quem a coagulo feri repetendum esse, nemo negabit. Causae etiam, quotquot sunt, quas nouimus inflammationes accendere, sero omnes ad concrescendum procliuitatem concili-

cilient. Quod restat, sanguis phlogisticus, e vena eductus, dum, nisi aliud quid obftet, citissime coit, eandem conditionem manifestat.

Quae cum ita comparata sint, non inique inde inferitur, obstructionem vasorum, quae comes inflammationi iungitur, cum a feri diathesi, quam dixi, tum ab illo spasmo proficisci, quem inflammata vasa, siquidem dolore, impetu febrili aut acri inflammante sollicitata, recipiunt. Imprimis autem intelligitur, rubra sanguinis portione eiusdemque stasi, non omnino, ad efficiendam inflammationem, opus esse; videri potius naturam inflammationis impacto vasis sero, in coagulum prono, spasmo vasorum et motu humorum in loca adfecta velociore contineri.

Sed ex his plura sunt, quae consequuntur. Serum, quod coagulabile nominant, sanguini praebet densitatem, non coagulabile fluxilitatem. Dum itaque magna illius vis in vasis aut cellulari restagnat, portio sanguinis reliqua, ob subtractam ipsi densitatis causam, fluiditatem impetrabit, ea, quae sanitas postulat, longe maiorem, nisi forte accidat simul, ut feri non coagulabilis inopia adsit. Quam ob causam sanguis, in pessimis peripneumoniis, corio caret fluidusque conspicitur. Ex hoc quoque fonte profusae istae, quas medentes adeo in morbis inflammatoriis horrent, excretiones emanant, licet, in his efficiendis, proclivitas ipsa feri ad concrendum, aquae diluentis consortium scilicet refugiens, motusque enormis, quo circumaguntur humores, non omnino culpa careant. Quod superest, conditionibus, quas dixi, hy-

dropes ex inflammatione debentur serique aquei collectiones, in his, quos inflammatio iugulauit, repetitis vicibus detectae. Neque etiam, his ita constitutis, miror, in demortuis ex inflammatione, molliores quasdam partes laxiores quandoque existisse. Aqua enim, gelatinae loco solidis mollioribus apposita, his tanto facilius morbosam laxitatem conciliabit, quanto propius, vel in media sanitate, a fluidis distant. Atqui e dictis patet, illud a natura inflammationis non abhorrere.

Sequitur, ut ea, quae hucusque exposita sunt, ad phrenitidem referantur istasque phreniticorum dissectiones, in quibus signa inflammationis defuisse iudicant. Utuntur hic imprimis, quod iam in limine huius scripti monui, MORGAGNI epist. anat. VII.; quam itaque liceat accuratori examini subiicere. Eundem autem ordinem sequar, quam MORGAGNVS elegit, incipiendo ab his, quae VALSALVA obseruauit.

1^o *Adolescens febre corripitur cum siti quidem, sed urina et pulsu quadantenus sanorum similibus, ut levis videretur morbus. At circa octauum diem delirium ingens accessit, quod septem dies perdurauit. Tandem moritur. Cranio sublato gelatinosa quaedam concretio animaduersa est, quae vasa sanguifera, per tenuem membranam reptantia, a lateribus comitabatur. Ea meninge ad basin cerebri lacerata, copia aquae exiuit, colore et crassitie vaccinum serum referentis. Caeterum totum cerebrum sanum erat. Gelatina itaque concreta serique ista copia delirium*
pro-

produxisse videntur. Sed utrumque ab inflammationis natura non alienum est.

2° *Vir dolore corripitur in thorace cum febre. Dolo-
re abeunte, accedit ad febrem delirium, quod febre magis semper
augescente, ad mortem usque perdurat. Dum e cranio cerebrum
eximebatur, paululum feri ex meningibus emanavit. In duræ
singulis maioribus sinibus singulae erant concretiones polyposae.
Molle fuit cerebrum totum; in sinistro autem eius ventriculo ple-
xus choroides multum, varicum instar, turgēbat. Merentur,
quae hic adducantur MORGAGNI verba. Quae causa, inquit,
peripneumoniam facere inceperat, ea videbatur in hoc viro ad
caput translata, ibique perstans ad mortem usque, conspicuam
meningum inflammationem facere debuisse. Nec fecerat tamen.
Fecerat tamen conditiones, quas inflammationis naturae respon-
dere nouimus. Atque, vel hoc ipsum exemplum phrenitidis,
a causa inflammante manifesto enatae, edocere nos posset, sola
saepius concrementa varia ferique abundantem copia a lethali in-
flammatione cerebri aut meningum superesse; neque ideo rationi
obseruatisque non esse consentaneum, ea, nisi quid aliud contra-
rium suadeat, praegressae inflammationis signa habere.*

3° *Vir febre ardenti laborans, ingenti capitis dolore, cui
delirium successit, vexabatur. Mortuus, inter utramque me-
ningem paucum serum ostendit, cuius pars inter sanguifera vasa
in gelatinae modum concreuerat; in sinu autem falcis tenuem
lon-*

longamque concretionem. Caeterum totum cerebrum secundum naturam se habebat. Suadet iterum ardentis febris natura, cum his, quae supra monuimus, comparata, non abfuisse hic inflammationem.

4° *Vir in magnam incidit febrem, delirat, oculi lucent, pulsus est vehemens. Moritur. Cerebrum est bene constitutum, nisi quod valde turgent sanguine eius vasa; ventriculi autem seri habent aliquantum. Praeter nonnullas in corde polyposas concretiones, omnis in hoc cadauere fluidus est sanguis. Cum VALSALVA non diserte memorauerit conditiones istius sanguinis, qui cerebri vasa distendit: sectio ista nulli theoriae fauet.*

Sectiones, a VALSALVA peractas, sequantur eae, quas MORGAGNVS suscepit. Nempe

5° *Senex, ob varia, at leuia, valetudinis incommoda in nosocomium admissus, cum ibi esset, pulsu corripitur non modo crebriore et celeriore, verum etiam turgidior, quam eius aetati videretur conuenire. Ad haec delirare coepit, saepe item, quasi ex conuulsione, maxilla inferiore et artubus tremere. Tunc interrogatus, quas in capite molestias perciperet, pondus diserte dixit; caetera negauit. Delirare ac tremere pergit ad quindecim aut sexdecim dies. Denique humilior redditur pulsus. Moritur inde aeger cum stertore intra biduum. Dum caput a summa spina amputabatur, ex huius tubo non multum, ex*
ma-

maiori autem ossis occipitis foramine magna vis aquae prodiit. Quam ob rem crassa meninx mox valde corrugata deprehensa est. Sub tenui tamen in cerebri anfractibus aqua supererat eius similis, in qua caro recens lota sit: cuiusmodi aquae portio aliqua et in lateralibus ventriculis fuit, quorum tamen vasa non pallebant. Quin plura vidit MORGAGNVS per tenuem meningem vasa, nigro concretoque sanguine pleniora, in sinu autem falcis polyposam concretionem exilem et longam. Caeterum etsi cranium et cerebrum ingrati quid olebant, cerebri tamen et cerebelli substantiam inuenit sanam; nisi quod in illo non adeo, in hoc vero multum laxa esset. Abundantia aquae, cerebrum inundantis; sanguinis nigredo et concretio; polyposa denique concretio, poterant praegressam inflammationem prodere.

6^o Figulus 70. annor. natura bilaris, potor strenuus, post animi curas laboremque in arte sua maiorem, quam soleret, eaque aetate ferre posset, simul in febrem incidit et dolorem sinistri lateris vehementem. — Quarto die febris se valde intendit; sexto autem delirium accessit tantum, ut vincire necesse fuerit, ne lecto desiliret. — — Postridie stertens, supinus, totoque corpore sudore madens moritur. — — Ad cerebri sectionem progressus MORGAGNVS, in sinibus laterali sinistro, et quarto, itemque in primo, et in venis aliquot, cum hoc communicantibus, polyposam concretionem albidam, firmam, exilem conspexit; vasa autem reliqua, per omnem tenuem meningem repentina, etiam qua cerebellum conuestit, adeo sanguine distenta, ut trunculi tur-

gerent, minimi autem ramuli luculenter essent conspicui. Haec vero in sinistra duntaxat parte ad hunc modum sese habebant. Sed nec vascula per medullarem cerebri substantiam traducta, nec ea, quae parietes lateralium ventriculorum perreptant, turgere videbantur. Plexus tamen choroides non decolores, quamvis in ipsis hydatides, et in ventriculis omnino serum non deesset. Multum autem exterius fuerat in cerebri anfractibus, unde per tenuem meningem translucens, gelatinam mentiebatur; sed haec reuera nusquam; fluxile tantum serum fuit. Neque ideo hic praegressae inflammationis signa deerant: aqua; concretio polyposa; enormis vasorum distensio.

7^o In viro ad pectoris inflammationem quinto die accessit phrenitis laeta, serena, interdum ferox, haecenus tamen, ut accedentium ora consputaret. — Interea convulsivi motus coepti sunt adnotari, leues primum, ut in tendinum carpi subsultibus, deinde maiores. Nouissime nec difficilis respiratio erat, et, si quaereres, vllum se vsquam dolorem, aut molestiam percipere, negabat. — Tandem obiit. — Dum caput abscindebatur, longae portiones concreti sanguinis eductae sunt e venis iugularibus, velut enses e vaginis. Meningum vasa fuerunt sanguine quam maxime distenta. Concretio quaedam polyposa, albida, compactaeque structurae, non modo sinum falcis tenebat, sed et in plerasque pergebat venas, cum eo sinu communicantes. In tribus reliquis maioribus sinibus crassae meningis erat sanguis concretus. Tenuis autem meninx omnia vel minima vascula adeo sanguine habebat

bebat turgida, ut valde ruberet uniuersa. Serum in cerebri anfractibus suberat. In lateralibus quoque ventriculis serum fuit subrubrum sed paucum. Plures, nec paruae, hydatides in posteriore sede plexuum choroidum. Caeterum sanguine erant distenta, eoque multo, quam soleant, manifestiora non tantum vasa, quae per lateralium ventriculorum superficiem ducuntur, sed si corpora striata, si thalamos opticorum nervorum leuiter abraderes, aut si profundius tum ipsa, tum quamcunque velles medullaris cerebri substantiae partem secares, vasa proportionem ad eundem modum ubique plena et manifesta occurrebant. In cerebri autem et cerebelli dissecto cortice vix vlla internoscere licebat. Causa delirii; turgor vasorum; concrementum polyposum; serum abundans, non obscura sunt inflammationis signa. Denique

8^o Mulier ex ictu capitis iam pridem in nosocomio decubuerat et sana discesserat. Postea in febrem incidit, delirauit, mortua est. Sectio nullum vsquam peculiare illius ictus indicium detexit. Crassa meninx sublata interiorem faciem ostendit crebris coccineis maculis, quasi guttis sanguinis distinctam. Tenuis autem vasa sanguine turgida, sub eaque alicubi serum, quod in ventriculis non fuit. In plexuum choroidum posteriore parte vesiculae. Ante glandulam pinealem subflauae materiae pauxillum. Caetera sana; nisi quod cerebellum fuit laxissimum. Nullo in vase quidquam polyposae concretionis deprehendi potuit. Ipse MORGAGNVS, LANZONI observationem commemorans

(num. 8), maculas nigras, quibus cerebrum conspersum erat, haud obscura vocat praegressae inflammationis indicia; dumque in eo est, ut mulieris, cuius historiam adduxi, sectionem describat, haec (num. 14) praefatur: *cum crassioris quoque meningis inflammatione, aut certe affectu, ad inflammationem accedente, coniunctum delirium ostendamus*; denique SLEVOGTII assertum referens, in grauib; scilicet deliriis, crassae quoque meningis non vasa modo admodum turgentia, sed et eius substantiam inflammata non raro inueniri: addit: *quo istas eiusdem poteris coccineas maculas referre* (num. 16). Quare MORGAGNIUS non omnino negavit, adfuisse, in mulieris isto casu, crassae meningis inflammationem. Et sunt tamen, qui, ne hanc quidem historiam veterum opinioni consentire, iudicant, censentes, defuisse hic omnino inflammationis indicia. Atque fateor, nescire me rationes, quae satis nobis persuaderent, maculas omnes inflammationem prodere. Maculas enim in cute identidem excitari nouimus, quas inflammationes nominare vix possumus. Equidem earum, quae interiora loca occupant, forte longe alia ratio est; saepiusque accidit, ut partes internae, imprimis e membranis constantes, si lethali fuerint inflammatione adfectae, a morte obitae undique maculis conspiciantur. Neque tamen ideo facile eo me adduci paterer, ut crederem, quamcunque internam maculis conspersam partem fuisse inflammata, cum resolutus sanguis errores loci maculasque efficere, sine inflammatione, possit. Et sane videtur sanguis mulieris, cuius causa haec dicta sunt,

sunt, in resolutionem pronus fuisse, cum nulla concretio polyposa in vasis inueniri potuerit, atque MORGAGNVS etiam non diserte edixerit, serum, quod sub tenui meninge deprehendebatur, gelatinosum exstitisse. Quam ob causam durae meningis inflammationem in eo casu obtinuisse, non plane quidem, ut opinor, negari potest; attamen, cum indicium eius adeo sit anceps, dubiam eam esse iudico.

Quibus iam in apricum positis intelligitur, numerum longe maximum sectionum, quas MORGAGNVS l. c. recensuit, sententiae eorum, qui statuunt, phrenitidem cum inflammatione coniungi, potius fauere, quam aduersari, duasque tantum ex omnibus in utramque posse partem explicari. Earum, quas e BONETI collectione repetunt, non dissimilis plane ratio est. Ut itaque quam plurimae phreniticorum sectiones, quas censent phrenitidi inflammatoriae repugnare, illi omnino faueant, aut saltem eius naturae adeo consentaneae sint, ut non bene capias, quam ob causam docere dicantur, phrenitidem, deficiente omni aut cerebri aut meningum inflammatione, contigisse. Quod quidem tanto confidentius affirmo, quanto mihi minus signa, e quibus vulgo inflammationem a morte cognoscunt, aut certa aut constantia esse videntur. Suspiciari paene posses, MORGAGNVN de cerebri aut meningum inflammatione dubitasse, nisi distensionem vasorum conspexerit (l. c. num. 8). Et tamen maculae craesae meningis non obscura esse edixit eius inflammationis indicia! Innuit MORGAGNVS praeter id, turgorem vasorum, quem

sanguis aquosus aut pituitosus perficiat, inflammationis nomen non mereri. Atque id omnino verissime dictum esse censeo. Sed istae sanguinis conditiones partim solutæ rubrae sanguinis portioni, partim denso crassoque cruori, partim coagulo feri oppositæ sunt. Cruor solutus nequit hic in censum venire, deque eo, ut puto, non cogitavit MORGAGNVS. Neque crassus densusque cruor huius loci est, siquidem notum sit, vel in media cruoris fluiditate pessimas inflammationes contingere, vicissim vero distensiones vasorum ab atro crassoque sanguine, absente omni inflammatione, inueniri. Quod itaque ad materiam spectat, e qua inflammatio in cadauere dignosci debet, coagulum feri tantum restat, siue id nunc polyporum instar, siue concretionis gelatinosæ forma, siue alia ratione occurrat. Neque vero in ea sententia verborum, ac si reperta ista coagula absoluta sint inflammationis signa; bene enim noui, non infrequenter ea a causis, quas ad inflammationes referre non licet, enasci, produci quoque ea, dum adsunt morbi inflammatorii, in locis, ab inflammatione non occupatis; at, si prægressi morbi conditio, si causarum imprimis ratio consentiat, ea, vel caeteris signis deficientibus, certe esse localis inflammationis indicia existimo. Nec aliter fere iudicauit SWIETEN, dum duritiem meningum, processus falciformis ossificationem, cerebri siccitatem &c. quae coagulati feri effectus esse possunt, signis prægressæ cerebri meningumque inflammationis adnumerat. Sane coagula ista longe frequentiores sunt, quam putredines et suppurationes, inflammationum sequelæ. Atqui si has

in cerebro ex phrenitide demortuorum deprehendunt: de 'prae-
gressa inflammatione non dubitant, licet ideo, si rem subtilius
rimari velis, utique ea non semper extra omnem dubitationis ale-
am posita sit. De coagulis autem feri longe aliter sentiunt,
quamuis, ut opinor, maiorem adhuc fidem mereantur, atque
passim ab his ipsis, qui parum illa, si cerebri et meningum in-
flammatiō in quaestionem venit, aestimant, ut dubiam inflammatiō-
nem confirment, adhibeantur. Si quis demum affirmaret, partem
inflammata[m] rubram esse debere: eius sententiae, caeteris mis-
sis, id tantum opponerem: si dolor, si febris, si turbae functio-
num vel in pessimis inflammationum speciebus deficere possunt:
rubedine partis multo magis natura inflammationis carere potest.

Atque haec de phreniticorum sectionibus, quas docuisse
dixerunt, phrenitidem sine cerebri et meningum inflammatione
existisse. Plura sine dubio his addi potuissent, imprimis vero:
dari latentes inflammationes posse, maxime in cerebro; nec raro
videri phrenitidem cum delirio febrili confundi. Sed, ne mul-
tus sim, dicta sufficiant.

Ex altera parte BONETVS, WILLISIVS et plures, ce-
rebri et meningum inflammationes commemorant, phrenitide
non stipatas. Ex quo si id tantum colligerent, non quemuis in-
flammationis gradum phrenitidi inferendae esse parem, recte eos
vereque iudicasse existimandum esset. Quando vero sunt, qui
eo procedunt, ut istam ideo inflammationem dubitanter phreni-
tidis causis inferant, paeneque earum numero expungant, ho-
rum

rum ego, fateor, perspicacitatem non satis mirari possum. Eo sane MORGAGNVS non processit, neque facile quis alius, qui nouit, morborum causas non pro indolis tantum, sed pro gradus etiam ratione differre.

Praeter haec, quibus, ad refellendam veterum sententiam, vtuntur, argumenta, superest aliud, quod egregio cuidam viro elapsum esse doleo. *Si inflammatio, inquit, encephali phrenitidem i. e. delirium efficeret, maniacus nullus, cuius cerebrum ab inflammatione certissime immune, existeret.* Omnino quidem, si notio phrenitidis delirium tantum inuolueret. Quando vero phrenitis delirium *febrile* idque *constans* postulat: manifesto a mania differt. Atque istae plane conditiones sunt, e quibus necessitatem inflammationis, dum phrenitis adest, adstruere conantur. Nil itaque agis, si, vt contrarium doceas, ad maniam prouocas, quae alias, quam phrenitis, dotes nacta est.

Atque sic credo, praefixum me huius scripti finem consequutum esse, qui is erat, vt offenderem, sectiones argumentaque veterum de phrenitide opinioni opposita esse, quae, si longe maximum eorum numerum spectes, inualida sunt atque ficulnea. Nec inutilem me suscepisse laborem censeo, licet ipse ab eorum sententia recedam, qui inflammationem cerebri aut meningum veram constantemque phrenitidis causam pronunciant. Nam, si modo id commodum medicina exinde reportaret, vt signa inflammationis, quae sectio suppeditare potest, accuratius demum definiantur, haberem omnino satis, quo, tenuis quidem homo, gaudere possem.